

539
6


APOTELESMATA PHILOSOPHICA, MERCVRII TRIVM-PHANTIS,

DE

VERA, ET SVMMA ANTI-
quißimorum Philoſophorum Medicina.

IN QVIBVS ELVCIDATIO
& Clauis totius Operis.

Labore & ſtudio
ARIOPONI CEPHALI
EVTOPIENSIS.



Cum Grat: & Priuileg. Cæſ. Maieſt. ad Decennium.

MAGDEBVRGI
Excudebat Andreas Seydner.

Anno M. D. C I.



RVDOLPHO II. ROM: IMPERATO-RI INVICTISSIMO SEMPER AVGVSTO.

EX INTIMIS ANIMI DEVOTIS-SIMI PENETRALIBVS HVMIL-limæq; obseruantiæ ergò.

DEDICAT, CONSECRAT ET SVBMITTIT.

M. C. M. D. Philoso-phantium minimus.



APOTELESMATVM

PHILOSOPHICORVM MERCVRII TRI-
umphantis.

DE SVMMA MEDICINA

LIBER PRIMVS.

APOTELESMA

I



XVPERANTISSIMVS Deus in principio creauit Cœlum & Terram: Fuit autem primùm Essentia quædam ineffigiata, confusa, quam Matrem & primam materiam Mundi, seu Chaos & Hylen Philosophi nominarunt.

2

Hancq; ex Nihilo creauit Optimus Max. conditor omnipotens.

3.

Nimirum Verbo dicente & Spiritu fouente

4.

Deus namq; omnium rerum principium & causarum prima est.

5.

Cuius imago est vniuersa Natura.

6.

Naturatum autem ſapit Naturam ſui Naturantis.

7.

Mundus enim hic viſibilis ad mundi iſtius intelligibilis exemplar, conditus eſt & effigiatus.

8.

Omnia autem liberrima Dei voluntate, prouidente, proſpiciente & gubernante facta.

9.

Vt autem DEus ex Nihilo (non ex præcedente aliqua Materia) contra omnes Rationis & Naturæ Leges, cuncta creauit: ita creatarum rerum aliqua in Nihilum rurſus abire nequaquam poteſt, niſi id fiat ſingulari DEI omnipotentia, contra omnes Rationis & Naturæ Leges.

10.

Hinc admirabiles rerum vires à nobis elici, fieriq́; Metamorphoſes veræ poſſunt, ſi modo artificioſè Naturam iuxta Chemicæ artis, tractemus & exploremus, Magiſterium.

11.

Duplices autem in rerum vniuerſitate ſunt aquæ, Superiores & Inferiores.

12

Res inferiores motu ac lumine ſuperiorum caleſcunt, fouentur & conſeruantur.

13. *Solis*

13.

Solis Lunæq; vices, Ortus & Occasus, labores, deliquia & stata tempora vnde impreßiones in inferiora corpora, & seminales radij emanant.

14.

Igne cœlesti omnia fovente & non consumente.

15.

Hinc rerum naturalium, Inferiorum cum superioribus mira colligantia, continuitas, Influentia & Sympathia.

16.

Hæc est Cathena Homerica, Hi sunt annuli Platonis, Hæc est combinatio rerum.

17.

Hæc Cabala Realis vera, non illa vulgaris Alphabetarea.

18.

Quicquid enim in Mundo est, ad aliud quid ordinem, convenientiam & conformitatem habet.

19.

Sic res Inferiores Superioribus, Et Superiores Inferioribus certo, & suo quodam modo insunt, & sibi mutuo sunt coordinatæ, convenientes vel conformatæ.

20.

Per harum igitur rerum vel separatim in Natura existentium vel seminaliter prius in Naturæ latentium involucris, VNIONEM ET ACTVATIONEM

NEM magis miranda naturaliter præstari poterunt, quam quis mortalis credere queat.

21.

Natura operatur ab indole suæ virtutis & originis, prout Natura per se fert.

22.

Artis ope tantum exigua indiget.

23.

Idipsum docet Naturæ concentus & optima Harmonia.

24.

Qui igitur eligere nouerit Materiam dispositam & patiendi paratissimam, Agensq; fortissimum: hic præstantiores, potentioresq; producet effectus.

25.

Deus vt omnium Autor, sic illorum expers omnium & super omnia longè eminet Maiestate sua.

26.

Essentia eius tribus personis distincta est.

27.

Effigiatio diuinæ mentis in alijs creatis.

28.

Propagatio & conseruatio specierum & indiuiduorum.

29.

DEI essentia nulla imagine, nomine, figura, effigie, forma, vel corpore exprimi potest.

Omni-

30.

Omnibus tamen Creatis sua virtute inest, ac nostris mentibus se insinuat.

31.

Claritas enim est & Charitas infinita, Amor Igneus, Lux inaccessibilis & vix cogitabilis, illustrans splendor & exuperans, Ardens fulgor, superans omnem intelligentiam.

32.

Magna in Numeris sunt Mysteria, vnde Pythagorica Cabala maximorum Naturæ arcanorum plenissima.

33.

Omnia in DEO sunt sicut Numeri in Vnitate & in Centro omnes lineæ Circuli.

34.

Membrorum corporis humani vires ab Anima.

35.

Vnitas est fons & origo omnium Numerorum.

36.

Et Deus vnum est, vt Anima & Vnitas.

37.

Omnes res humanæ fragiles & Caducæ.

38.

Deus semper sibi similis non mutatur.

39.

Simul nostra omnia fouet, tuetur & sustentat.

40. De-

40.

Deus ineffabilis & innominabilis, Trigrammus notatur in Natura, Tetragrammus lege, Pentagrammus gratia.

41

Deus in luce æterna habitat, habens in seipso inenarrabilem splendorem.

42.

Lumen est qualitas omninò formalis & simplex actus, seu prima forma.

43.

Primæ huius, & præcipuæ formæ scilicet LVCIS ea est facultas, vt sine ea cæteræ formæ omnes agere nihil poßint

44.

Sicuti Cælestia sunt formaliora terrestribus, ita sunt & actualiora.

45.

Anima mundi media Natura.

46.

Hæc autem Anima mundi in Sole præcipue habitat.

47.

Res quantum in se habet Luminis, tantum etiam habet Numinis.

48.

Hanc ob causam Solem, Plato dixit, Conspicuum DEI Filium, & Dionysius perspicuam Dei statuam.

49.

Et secundum Orpheum, Sol est oculus Mundi, qui omnibus rebus calorem, lucem vitamq; inspirat.

50. *Huic*

Hinc quicquid habemus boni, vt Iamblicus ait, Habemus à Sole, vel ab ipſo Solo, vel ab ipſo per alia.

51.

Mundi igitur Anima in Sole fundata eſt, & collocata, vt quæ globum Solis totum implens, radios ſuos vndiq; quaſi Spiritum effundit per omnia, vitam, Senſum & Motum, ipſi vniuerſo diſtribuens & cuncta permeans entia.

52.

Anima diſcedente omnia corporis fatiſcunt officia.

53.

Et Solem, Heraclitus, cœleſtis luminis fontem appellat, quo ſublato, cuncta, ait, obtenebreſcere.

54.

Sol eſt Cor Cœli, ſicut in humano Corpore Cor eſt ſcaturigo vitalis Spiritus & ſanguinis, omnibus reliquis membris motum & vigorem impertiens.

55.

In Sole igitur omnium rerum vegetatio & conſeruatio.

56.

Solis effectus ſunt varij: Lumen eius eſt actus ſimplex.

57.

Sub regio Solis Imperio ſunt reliqui Planetæ.

58.

Calor Solis est viuificus: hinc ipsius accessu omnia florent, recessu flaccescunt & emoriuntur.

59.

Sic autem se habet Sol in Metallis, quemadmodum Sol in Stellis.

60.

Metallorum enim purissimum est Aurum, in quo splendor Solis, Ignisq; cœlestis radius inest.

61.

Solem igitur: Aurum, & Cor hominis tibi proponimus ex Anatomiæ Magicæ & Pyronomiæ Philosophicæ consideranda legibus.



APO-

APOTELESMATVM
PHILOSOPHICORVM MERCVRII Triumphantis.
DE SVMMA MEDICINA.
LIBER SECVNDVS.
APOTELESMA.

1.

PRima & Communis omnium Metallorum causa est vapor Sulphureus & Mercurius seu Argentum viuum.

2.

Differentiæ autem Metallorum secundum puritatem vel impuritatem vtriusq; Sulphuris nimirum & Argenti viui.

3.

Generationis Metallorum causæ effectrices sunt Natura & Ars.

4.

Ars imitatur Naturam, defectumq; eius supplet, corrigit, castigat, iuuat & promouet, imò etiam Naturam superat.

5.

Duo Philosophantium Genera: Quidam naturas rerum elementales, sub Sphæra Lunæ, vulgari

modo inquirunt: Quidam longè splendidiores & veriori nomine Philosophi, arcana & Naturæ secretiora vestigant: Hi Naturæ penitiora adyta & sanctuarium eius ingrediuntur.

6.

Triplex est Operationum Ratio & Causa.

7.

Inferiora Corpora ad Naturam & perfectionem Corporum superiorum deducenda sunt.

8.

Longè sed alia ratione, quam quidam ex Philosophastris falsò opinati sunt.

9.

Sulphur & Mercurius licet sint radix Metallorum & Materia, ad aliam tamen naturam deducenda sunt.

10.

Illud autem vinculum quo Sulphur & Mercurius debita proportione coëunt, occultissimum est, & latet.

11.

NB *Igitur non Mercurius vulgi aut Sulphur commune pro Materia lapidis habenda sunt, sed potius id, quod ex ipsis est, purissimum, scilicet, semen.*

12.

Naturæ vegetabile considerandum est, atq; exinde huius artis processus est attendendus.

13. Pro-

13.

Proinde Semina rerum à corporibus perfectioribus petenda sunt hac in arte.

14.

Tum illa terræ ab arte præparatæ immittenda & leni ac jugi calore ceu decet decoquenda, donec seminibus illis debitè maturatis & recoctis renata facies sese ostendat, ac inferiora corpora ad cœlestium indolem & vigorem adæquentur & redigantur.

15.

Hanc artem Philosophi ex arcano DEI consilio & inspiratione condidêre & exercuêre.

16.

Viderunt enim res animales & vegetabiles suo quodam se Spiritu innato & interno propagare & sui simile quiddam producere diuersis alterationum motibus.

17.

Cumq; omnium terræ nascentium semina senio quodam collapsa fatiscant, natura sua se subinde innata virtute & Spiritu instaurare satagit.

18.

Quem Spiritum seu naturam rerum generatiuam & prolificam etiam in Metallis residere, Veteres illi naturæ rerum consultissimi compertum habuêre, æquè atq; in alijs vegetabilibus.

19.

Idq; ex communi naturæ data lege & voto.

20.

Spiritus autem ille generatiuus in metallis cum crassiore inhibeatur sui materia, mole seu illuuie, oportet vt secreta sublimatione, emulcebratione seu regimine Philosophico secernatur, desecetur & perpurgetur.

21.

Sic enim cum obstaculum remotum est, Spiritus congeneus, in connaturali sua sede seu humido innato radicali tanquam virtus Seminaria in metallis, fouetur, retinetur & conseruatur.

22.

Inde statuerunt Philosophi inferioribus corporibus Lucem, decorem & nitorem Perfectorum inducere.

23.

Cum illorum differentia non sit, nisi secundum maiorem aut minorem sui decoctionem, aut Sulphuris adurentis mistionem.

24.

NB· *Mercurius omnium Metallorum vniuersalis Materia, & prima causa, eoq; & Auri quod ad primam sui naturam reduci oportet.*

25.

Quæ reductio cum non adeo difficile fieri possit, Igitur & transmutatio Metallorum, facilis est & possibilis.

62. Modo

26.

Modò detur opera ne forma Auri interna, inepta operatione diſsipetur, ſed retineatur.

27.

Atq; ita Naturæ ab illuuie ſua purificatio ritè tentetur & fiat.

28.

Vnde & Lapis nomen ab effectu ſuo ſortitur quod tranſmutans dicatur.

29.

Sic nempe Artis induſtria Naturæ defectus vt ſuppleatur neceſſe eſt, cum Natura ad ſui perfectionem ſemper tendat, laboret & anhelet, ipſa ſua indole.

30.

Multis vero ac varijs Philoſophi inuolucris ænigmatibus & figuris vſi ſunt.

31.

Duæ autem ſunt Lapidis partes præcipuæ, Vna eſt Sol terrenus Philoſophorum, ſine quo nihil efficitur. NB

32.

In hoc enim ære Sulphur eſt Philoſophorum puriſsimum, in quo Natura Sementem ſuam conſtituit. NB

33.

Oportet autem vt colore, pondere, & omnibus Elementis reliquis omnimoda adæquatio fiat in lapide, inſtar Auri.

34. Di-

34.

Dicunt autem in Auro vt perfectissimo Metallo omnia alia esse Metalla suo modo.

35.

Omnes res secundum naturæ suæ contemperamentum & complexionem sibi simile progenerant.

36.

Natura vero operantis industria & Magisterio purificata procreat.

37.

Altera Lapidis pars est Mercurius viuus Philosophorum.

38.

Sine hoc Lapide Natura nihil operatur.

39.

NB. *Sic quoq; sine Sole & Mercurio non operamur.*

40.

Mercurius ille tantæ est efficaciæ & Virtutis vt nulla alia res in vniuerso Mundo.

41.

Inde non immerito id celebratur de ipso: Est in Mercurio quicquid quærunt sapientes.

42.

Sol & Mercurius vnum constituunt Lapidem.

43.

Qui duo sunt Corpora mortua per se, nihilq; agunt aut procreant, quàm quod illis Magisterio Artis administratur.

44. Mer

44.

Mercurius Auri Semen ſoluendo concipit, portat in ventre ſuo, paritq́ tandem, & in auras excludit, interim Mercurio manente virgine, & puerpera illæſum virginitatis honorem ſeruante, dum in purum emicat Corpus.

45.

Hæc ars nulli reuelatur, niſi cui DEus illam reuelare voluerit.

46.

Hac ex arte omnium penè rerum noticia, Et hoc in Lapide vniuerſa rerum Natura elucet.

47.

Eſt enim inſtar Mundi minoris, in quo ſunt quatuor Elementa, & ſuper hæc Quinta Eſſentia, quam Animam mediam Naturam nominarunt.

48.

Hæc Anima media Natura, in, & per vniuerſum in opere hoc Philoſophico.

49.

Genitura rerum vsq́ ad ſupremam mundi horam, qua ſimul & deſinet.

50.

Meritò igitur indagatio illius, omnibus veritatis ſtudioſis deberet eſſe commendatiſſima.

51.

Calumniantes autem & Ignorantes, quos & fatuos Philosophi vocant, ab hisce tàm diuinis epulis, vt indigni arcendi, vt & delirantes suis sunt Enthusiasticis & Phantasticis somnijs penitus relinquendi.

52.

Hæc enim est Margarita vnica preciosissima & Minerua Philosophiæ occultæ.

53.

Quæ Minerua Iouis fuit filia & ex ipsomet capite Iouis prognata.

54.

Nam cum Vulcanus caput Iouis aperuisset ferrea securi, prosiluit ex ipsius cerebro armata Minerua.

55.

Hæc igitur Minerua, & hic Vnio rerum omnium æstimationem excedit.



APO-



APOTELESMATVM

PHILOSOPHICORVM MERCVRII Triumphantis.

DE SVMMA MEDICINA

LIBER TERTIVS.

APOTELESMA

1.

NAtura est vis quædam Seminaria diuinitus insita rebus, ex similibus similia procreans.

2.

Natura item est Ignis viuus, Cælestis, inuisibilis, seu vigor vitalis, Calorificus, omnium rerum germinatio & viriditas.

3.

Qua vniuersa generant, germinant & vigent.

4.

Natura etiam definitur principium motûs.

5.

Ignorato enim motu ignoratur Natura quæ versatur in continuo motu.

6.

Cuius motus sex sunt notissimæ Species, quæ vnicuiq; syncerè Philosophanti ante omnia penitiùs considerandæ.

7.

Anima Mundi in rerum generatione & conseruatione versatur.

8.

Animæ omnes, ad vnam Animam Mundi, Et Planetæ omnes ad Solem vnicum, ceu Regem omnium referri debent, quod Philosophi omnes occultiores, summo Opere comprobare nituntur.

9.

Ad vnum Iouem enim omnia tendunt, vt ab eodem initium est, eiusdemq; omnia plena sunt in hoc opere Philosophico.

10.

Natura itidem retinaculum est, & arctissimum Elementorum vinculum & ligamen.

11.

Hæc Elementorum inuicem mixtionem efficit, quæ omnibus rebus nascentibus suum dat esse, formamq;, qua à reliquis differunt.

12.

Quæ ipsa licet per se omnis expers coloris, ponderis & qualitatis sit: tamen his omnibus participat, vt quarum ipsa genitrix existit.

13. *Natu=*

13.

Natura igitur est intelligibilis, formabilis, genitalis, primum Ens Physicum, ac quasi Manus & digitus Dei, quo Autore & factore omnia in lucem exclusa sunt, vt ipse est purissima quædam lucis inaccessæ Lampas, quæ radio vigoris sui omnibus spirabile suum animæ & vitæ infundit.

14.

Ita Natura (eius quippe imago) est Ignis inuisibilis, seu vigor Igneus, quo cunctæ res multiplicantur.

15.

Calor omnes res in vniuersa Natura excludit, & producit.

16.

Et virtus Edicti, de multiplicatione & generis sui fœtura in vniuersum se diffundit.

17.

Inde Natura prolifica est, eiusq; viriditas, in propagando.

18.

Hæcq; Cabalistarum linea viridis est, quæ gyrat vniuersum.

19.

Quæ certo quodam motu suo, per gradus vicesq; suas alterationis & augmentationis, non desinit, nisi in suprema Mundi calce, vbi se sistet fine quieta suo.

20.

Hanc Animam Mundi vocamus, freti autoritate Platonis, Arabum & Chaldæorum.

21.

Absq; tamen omni superstitione & cultu Idololatrico, habito interim vni DEO honore & gloria sua, quam alteri non dat.

22.

Venia tamen dignos censemus paganos, qui ex ignorantia magis, quàm maliciæ errore ducti & abrepti fuêre, luce veritatis illis nondum exorta.

23.

Sed nos hoc in studiorum genere, Apum experientiam & industriam sequimur, sua quæ fragrantißimo de florum succu mella stipant & optima quæq; à prauis segregantes & vtilia tantum tractantes.

24.

Prælustria illa Naturæ vestigia & auspicia hinc inde se ostendunt, in Coëlo, in Aëre & varijs in meteoris.

25.

NB. *Hinc Auri ferriq; sua trahunt semina, hinc Iugi fontes scaturigine ortus suos habent.*

26.

Absit tamen Error & falsum Astrologorum commentum, qui peculiares suos Astris affingunt Spiritus & Genios.

26. Sed

27.

Sed Animam humanam, diuinæ quandam Animæ particulam esse statuimus, cum sanioribus Philosophis.

28.

Qua ipsa Deus mentis suæ semina quædam & effigiationem, in nobis expreßit.

29.

Non absimili ratione, quam vt Echo ex reuerberatione aëris vocem suam de longo remittit: quo ipso Vegetalem exprimit animam.

30.

Sic causæ secundæ à prima impelluntur, Vnde motum suum participant & reliquis secundariò communicant.

31.

Haud aliter animabus nostris certæ quædam Spirituum & Angelorum deputatæ sunt cælitùs excubiæ.

32.

Licet DEus ipse hasce principaliter paterna sua exerceat & agat cum vigilantia.

33.

Idipsum docent Cœli meatus, Syderum Ortus & Occasus, stata tempora, & alia paßim.

34.

Quæ nulla alia arte & induſtria quam qua pollent, ipſa per ſe, indigent.

35.

Et hic omnia quorundam Aſtrologorum, vt Vana & vaniſsima, concidunt commenta & nugæ.

36.

DEO quippe ſoli illa ſunt aſſcribenda vt vniuerſitatis Autori, & Naturæ, Legiq; eius, quæ illi creatis rebus affingere non verentur.

37.

Quem verò hic Lapidem deſignamus, Spiritus eſt tingens, inuiſibilis, inpalpabilis, extra omnem ſenſus rationem, quem alter quidem Spiritus foris exteriusq; exprimit.

38.

Atq; hoc modo, & eatenus noſtrum ſub aſpectum, & tactum venit, quem varijs tamen inuolucris & ænigmatis nobis priſci reliquerunt.

39.

Hic Spiritus eſt Quintum ſupra Quatuor ſegregatum, ligamen ipſum Elementorum, Compages, nexus, medium atq; vinculum quo Sulphur & Mercurius arctè coëunt in vnum Corpus Geogamicum.

40.

Id verò cum in abſconditiſsimo lateat vinculum & inuiſibile ſit, vtpotè Spiritus: Philoſophi illud in

in perfectissimo Auri Corpore inuestigare & inquirere satagunt.

41.

Ex eo nempè Natura seminalis generatiua elicienda, quæ est viuus Ignis Naturæ, seu Anima media natura, Spiritus Mundi, Tincturæ donum & Nobile germen.

42.

Hoc igitur vt Tincturæ adaptent, mundificant & ab omni sorde immune, & politum reddunt.

43.

Atq; ita infinito augmine & multiplicatione ipsam genij sui virtutem stabiliunt, & decorem corroborant.

44.

Vt autem homo in Corpus, Animam & Spiritum diuiditur: ita & Lapis.

45.

Spiritus vita est Animæ, Anima vita est Spiritus, Spiritus & Anima vita sunt Corporis. NB

46.

Anima enim & Corpus cum sint extrema, opus habent medio, videlicet, quod sit quasi non Corpus, sed quasi iam Anima vel quasi non Anima, & quasi iam Corpus, quo videlicet Anima Corpori connectatur.

47.

Medium tale est Spiritus, cuius Spiritus beneficio illa euenit augmentatio.

48.

Spiritus namq; Animæ nodus & vinculum Corporis, atq; ita currus Animæ vehiculumq; eius est Spiritus.

49.

Talis igitur Spiritus in arte hac necessariò requiritur tanquam medium, quo Animæ Cælestes insint Corpori craßiori & mirificas dotes largiantur.

50.

Sic habes omni in Corpore Semina Naturæ agentia, & vim generaturæ efficaciamq; in hoc Lapide nostro.

51.

Tria namq; illa Corpus, Anima & Spiritus tibi Lapidem constituunt.

52.

Sub istis tribus tamen etiam quatuor Elementa Corporis comprehenduntur, Vno quasi in fœdere & compagine sua.

53.

Sicq; Quaternarius in Ternario Sacro quiescit.

54.

Quod sic demonstro & conuinco. Nam Aqua Spiritus est, idemq; aër, & qui vtrinq; resultat Ignis medius

medius Spiritus est. Sed Terra non æquè Spiritus est, sed Corpus & aliorum Elementorum retinaculum, Materia & receptaculum.

55.

Cum igitur Aurum sit Corpus fortissimè compactum, & firmissimè consolidatum in Natura, Hinc fit quod tale ligamen, Medium, & Vinculum, quo est coagmentatum & Concretum non possit ex eo facile haberi, nisi per resolutionem.

56.

Qua sed enim illud soluere possis ab arte, hic labor est, in quo se totius cardo negotij vertit.

57.

Hic artis secreta latent, quæ cautè tentanda sunt.

58.

Atq; hæc est illa solutio, de qua illud Eulogium perhibetur, quod de puluere inopem suscitet, & cum Regibus æquet.

59.

Hæc igitur ante omnia syncerè Philosophanti attendenda est.

60.

Hac enim impurum ab omni sua illuuie mundificatur, & soluitur Corpus, & Terra de fece sua nitescit.

61.

Sequestrantur enim impuritates, & Terra intimè purificatur.

62.

Quod ipsum Natura non potest per se, cum simpliciter agat tantum.

63.

Artis opus Magisterio & Industria.

64.

Sic Secreta & remota omni iam immundicia & sorde, adhærescente, quæ Tincturæ obstabant, & impedimento prius erant, fœcundissima sese aperit genitura rerum in germine suo, & simile sui progenerat & educit.

65.

Per Spiritum enim fit ea sui similis propagatio cum omnis Spiritus sit generationis Autor.

66.

Hunc igitur Spiritum, si quis sciuerit ab alijs Elementis plurimùm segregare, riteq́; secernere, vt sit in forma intensa is inter mortales satis superq́; erit spectandus.

67.

Tunc enim is Spiritus poterit nobis prodesse quàm plurimùm.

68. *Im=*

68.

Immerſus autem Corpori, & craſſa nimis tenaciq; cohibitus hærensq; materia, in actum ſuum & vim generationis erumpere nequaquam poteſt.

69.

Igitur ſoluendus eſt vinculis Corporeis, vt liberè, ceu impedimentis remotis virtus ſua cœleſtis & prolifica effulgeat.

70.

Tunc enim augmentatur viresq; acquirit ſummas, & fit centies millies potentior quam fuerat prius in Natura ſua.

71.

Sic Aurum quoq; quod mortuum eſt, animatur & Spirituale redditur, hoc eſt, in primam ſui reducitur Naturam, nempe in Spiritum Aquæ, & vaporem Terræ.

72.

Hiſce ex Seminibus Sulphur & Mercurius ortum ſuum trahunt, Vnde omnium aliorum Metallorum fœcunda propagatio & genitura eſt. NB

73.

Perfecta autem illa perhibetur Solutio, ſi Spiritus & Anima Auri ſeparata & nexus illius diuortia facta fuerint.

74.

Auri vero temperies cum sit omnibus suis partibus absolutissima, & iustissima in proportione, & summa æquatione Calidi, frigidi, Humidi & Sicci: Vt igitur corrumpi & tam forti nexu exolui possit sub conseruatione suæ formæ, Hoc opus hic labor est.

75.

Necessum igitur est in Elementis dissidium, diuortium, litem & Discordiam fieri: qua commissa fit solutio & mortificatio Corporis, & abluta atq; exuta penitus veteri: noua de recente emergit Natura.

76.

Qua se ratione reseminare fertur Ægyptius ille Ales Phœnix.

77.

Sic quoq; Elementa veteri abiecta palla & sorde sua exuta reuirescunt, læta quadam iuuenta sua, & Natura positis micat lætior exuuijs.

78.

In hoc autem Magisterio Solutionis & Separationis, in primis opera danda erit Artifici, ne lædatur & euertatur germen Naturæ, neue vis genituræ, & forma sua interna interimatur, comburatur, dissipetur aut perdatur in aliquo, vtpote qua semel hausta & absumpta nihil planè effici poterit.

79. Sed

79.

Sed subito quasi veneno, omnis Spes generis enecata, suprema in calce labascet, & euanescet.

80.

Hæc est syncera & solida Philosophia, de solutione & Analysi Physica, pressa tot vmbris, tot nugis Stolidi vesana per omnia vulgi.

81.

Est autem triplex Solutio: Vna Corporis crudi: altera Terræ, quæ huic operi apta & conueniens est, seminaq; rerum alit: tertia est augmentationis.

82.

In harum qualibet & illa tria ritè notanda veniunt, pondus, mensura temporis, atq; Ignis: omnia suo cum moderamine.

83.

Cum igitur noris pondus Mercurij, & Auri, mensuram temporis, & regimen Ignis: quo Solutio perficiatur, sat est.

84.

Tum Signa in aperto se ostendunt, an rectè vel perperam operatus fueris.

85.

Et dies, Menses & Anni Philosophor: notandi sunt.

86. *Tribus*

86

Tribus nempe diebus ſe vna dabit probà, quæ te vel exhilarare vel triſtari poterit.

87.

Tres igitur tibi dantur dies & duæ noctes in Opere Philoſoph: faciundo. Tu verò, qui filius eſſe laboras Philoſophicæ veritatis ardenter ora Deum, vt vltima, hoc eſt, tertia dies in Rubro tibi effulgeat.

88.

Similiter & tres Sophiæ Claues notabis, ſolutionem nempe, Coniunctionem, & Fixionem.

89.


Et alias duas aſſerimus Claues: Vnam Corpus aperiendi, hoc eſt, ſoluendi: Alteram claudendi idem, hoc eſt, figendi.

90.

Quæ duo Lapidem nobis ſua virtute figurant & exhibent.

91.

Vt interim de nigro Corui Capite nihil moneam, cuius falſa & inani emerſione quàm plurimi miſelli in errorem abrepti, & extremè ſeducti ſunt.



APO-



APOTELESMATVM
PHILOSOPHICORVM MERCVRII Triumphantis.

DE SVMMA MEDICINA.

LIBER QVARTVS.

APOTELESMA.

1.

VSus autem & praxis huius nostri operis, est ipsa Naturæ refectio, & instauratio.

2.

Omnium igitur hic Salium genus, omnia alumina, aliarum rerum exoticarum vsus cessat, nullius quæ nobis hic momenti sunt.

3.

Siue soluas, siue sublimes vulgaribus hisce vsus auxilijs, quæ omnes vulgares operationes ad artem hanc sunt impertinentes & adulteræ.

4.

Cassa etiam illa omnia, quæ in frustratorio illo rubefactionum, dealbationum, incrustationumq́; opere insumpta sunt à vulgaribus Alchumistis & artis impostoribus.

5.

Duo autem Summa huius artis sunt puncta & rerum fastigia.

6.

Primum punctum est de Solutione, & Separatione.

7.

Secundum est de Coniunctione, & fixione, vbi & de augmentatione.

8.

Sex autem numerantur Philosophicæ Operationes, nempè, Compositio, Putrefactio, Solutio, Diuisio, Mundatio, Vnio seu Perfectio.

9.

Quod breuiore via sic attentabis: Mercurij non minus quam duodecima pars sumatur. Et in proportione sua de soluto corpore vt fiat Solutio prima: Atq; ita liquitur ac premitur magna vis Auri.

10.

Oportet autem, vt Mercurius depuretur Sale ad id peculiariter parato, vt subtilissima & media eius Substantia haberi possit.

11.

Huius Aquæ purificatæ aliquot partes benè commisceantur cum vna parte Solis purissimi in folia vel bracteolas ducti.

12.

Poſt ponatur in apto vaſe vitreo breuioris & gracilioris colli. Stent in Cineribus ad Aquæ ſuperficiem.

13.

Igniſq́ & Calor æquilibris Geometrica proportione adhibeatur.

14.

Donec emineat ab ipſa Mercuriali Aqua Terra quædam, ſubtili vaporum Spiritu.

15.

Quæ quomodo ſit præparanda, Philoſophi eſt conſiderare.

16.

Hæc Venus natans dicitur in aqua Mercurij.

17.

Hæcq́ illa ἀφροδίτη *ex Mari procreata: Iupiter enim iratus, patri ſuo Saturno genitalia excîdit acuta falce atq́ ea in mare proiecit, Vnde Venus nata eſt.*

18.

Hic Sulphuris Aura in verſicolore ſua Specie quaſi in morem Iridis, in pura & fluente Aqua conſpicienda.

19.

Tota enim Sulphuris proprietas per Iridem exprimitur & præfiguratur.

20.

Non enim nisi Sole fulgente Iris conspicitur, & occumbente Sole etiam Iris occultatur, quæ etiam pluuiarum prænuncia est, & in signum gratiæ à Deo constituta, Et plura alia Mystica sub Iridis imagine latent.

21.

Sed Venere extracta, sumes aquam, in qua est Anima Solis, vel Mercurius, eamq; lento Igne distillabis vt inter lapsum guttularum momenta numerari possint. Sic Aquam habebis viuam, quæ ab effectu sic appellatur.

22.

Corpora enim inanima tactu suo viuifico restaurat, & duplici Naturæ virtute & germine pollet.

23.

Est enim ex duabus naturis composita, scilicet, ex Spiritu & Anima.

24

Spiritus Animæ currus est, eiusq; vehiculum & retinaculum.

25.

Vocatur hæc Aqua multis nominibus: vt acetum acerrimum, Luna, Fœmina, Sperma vel Menstruum fœmineum, Cœlum, Mercurius.

26. Cor-

26.

Corpus autem vocatur Sulphur, Sol, Masculus, Semen Masculinum, Terra, & Mercurius.

27.

Quæ cum distillando depurantur, Mercurius sua defecatur ab illuuie, & sordibus eximitur.

28.

Et sic Lucifer dicitur Cœlo præcipitari ac delabi: & Anima sua in luce refulget.

29.

Ita primum in Cœlo fuit malum: Lucifero autem lapso, & detruso omni sua macula mundificatus est æther, Angeliq; reliqui in throno suo confirmati.

30.

In hisce prima hactenus Praxeos pars fuit, scilicet in Solutione & Separatione. Sequitur altera hac priore longè sublimior, & diuinior pars quæ est de Coniunctione, Fixione, & Augmentatione.

31.

Hæc autem pars est Secretissima, & maximè ardua, vtpote Corpus inanime in Speciem viuentem confingere.

32.

Quo ipso DEI, non hominis tentatur opus: Animam nimirum ad Spiritum, hunc ad animam & rursus illa duo (Spiritum scilicet & Animam) ad

Corpus reducere, vt haustum neruis animæq; vigorem in se recipiant vicissim.

33.

Quis autem Animam dabit Lapidi, aut viuificabit Metallum? certe non penetrat hoc Arcanum nisi ad Artificem solertissimi ingenij, & non duræ ceruicis.

34.

Nouisse enim exactè oportet quantum sit Animæ, quantum & Spiritus, & quantum Corporis, quò in debita proportione Naturas homogeneas ritè coniungas atq; connectas.

35.

Coniungere igitur discas duas Aquas Superiores & Inferiores, Sulphur & Mercurium, Animam & Corpus, Solem & Lunam, Masculum & Fœminam, duo Spermata, Cœlum & Terram, & duo Argenta viua.

36.

Ex istis duobus fit verus Mercurius viuus, non Philosophastrorum, qui de Mercurio vulgi hæc intelligentes miserè hallucinati sunt.

37.

Hic namq; est iste Mercurius Philosophorum, qui Triumphans suo gradu & modo dici posset: in quo omnia insunt Metalla.

38.

Diciturq; Hermaphroditus Fœmina, Masq; simul in ipso Animæ & Corporis Matrimonio, sexu incalescens vtroq;.

39.

Hicq; Phoënix ille, qui sator ipse sui est.

40.

Salue plena DEI mihi munere Vena: Tu das epulis accumbere diuum.

41.

Hinc vera Solutio & Putrefactio Philosophorum dependet, dum Terra suo se Spiritu congeneo soluit.

42.

Corpus enim in aëre subtilissimo soluitur. Calidum enim & humidum sua vi corpus soluunt, Quia Anima media in Vitro & Natura colorem nigricantem principatu suo tollunt, quod caput Corui dixêre, & Solem nigrum.

43.

Hinc tres Circulos, tresq; Soles: nimirum, Album, Rubeum, Nigrumq; hunc notabis Solem.

44.

Post nigredinem omnes Mundi Colo:es emergunt, qui tandem in albedine vera, tanquam Centro conquiescunt.

45 *Albus*

45.

Albus & Niger sunt extremi Colores inter quos Medij, Multiplices & Varij.

46.

Inde album Lapidem, Solem album, Lunam plenam, Terram albam, Calcem albam, Sal Metallorum, Terram calcinatam dicimus.

47.

Ità quoq; Terra viua, Sulphur album & viuum dicitur, cum Anima jam in Corpus introducta est, impedimento remoto, hoc est, illuuie omni emundata.

48.

Terra autem non solum aërea est, sed etiam Ignea.

49.

Ignis autem Naturæ attendendus est.

50.

Fit autem Terræ Solutio Igne industriali longè breuiori via, & temporis Spatio, quàm Igne Naturali.

51

Hic vt Ignis moderamen ritè obserues oportet & quam variè Ignis, eiusq; strues habeatur.

52.

Philosophi suum Ignem Balnea dicunt, fimum equinum, Solem.

53. Et

53.

Et Lapis in triplici est Vase coquendus, ne Ignem adeò fortem trahat, sed qui sit instar caloris Gallinæ, quando ouis incubat.

54.

Quo Calore Draco, hoc est, Auri terra se mortificat, & omnibus Elementis exspoliat.

55.

Post seipsum iterum viuificat receptis & purgatis jam illis omnibus.

56.

Sic Draco omnem prius exspuit illuuiem, & atra venena, & candorem jam recipit per vniuersa sua membra niualem, instar Cygni.

57.

Et Coëlum descendit in Terram, hinc Terræ fit sublimatio, & ex Cœlo & Terra res vna.

58.

Tum Lapis vbi fixam contraxit albedinem: Tunc erit alius Mundus, aliaq; vita, priore longè excellentior.

59.

Nam tum Terra est Cœlum Animæ, & Anima est Cœlum Terræ vel Corpori.

60.

Anima verò purgatur per Spiritum, per eundem & Corpus.

F 61. Et

61.

Et nisi Anima, & Corpus conjungantur: perpetua Elementorum inter se pugna, & Discordia esset.

62.

Vti illa omnia pulchrè videre licet in Dialogo quodam Spiritus, Animæ, & Corporis.

63.

Post apertionem Solis à Luna, Sol eandem claudit, & coagulat in ipso Solis & Lunæ matrimonio.

64.

Solem priùs in Lunam ire, Deinde Lunam in Solem, est omninò necessarium.

65.

Non tamen hoc subitò, sed paulatim fit.

66.

Hinc igitur intelliges, quando in Luna Sol splendere debeat, & Phœbi Calor euigescere.

67.

Cum Luna à Phœbi calore est accensa, tunc Solis fulgentis est Indicium, Cuius tamen fuluum exortum præcedit Aurora Citrina exoptatissima, quæ Solis ortum Luce prima demonstrat.

68.

Duo autem sunt Impedimenta intermedia, nempè, Venus & Mercurius: quibus ablatis fit Solis & Lunæ mirabilis & inseparabilis coitio.

69. Tuncq;

69.

Tuncq́ Luna non ampliùs deliquium patietur Luminis ſui, Sed Sol & Luna ſua fulgebunt Luce propria.

70.

Hìc emerget felici omine dies vltimus Mundi prioris, poſt quem alia erit vita, aliusq́ Mundus, priori longè ſublimior, vbi aut Lux impermutabilis, aut Tenebræ, pice flagrante, perpetuæ.

71.

Ignis enim de Cœlo deſcendet, iterumq́ aſcendet, & Imperfecta ad plenam ſuam perfectionem adducet, ac Tinget.





APOTELESMATVM
PHILOSOPHICORVM MERCVRII Triumphantis.

DE SVMMA MEDICINA
LIBER QVINTVS.

APOTELESMA

1.

POstquam igitur Lapis albicantem contraxit colorem, nondum plenos & maturos genituræ sustinet annos.

2.

Fulcris adhuc, succo, & alimentis insuper indiget, vt germine suo se multiplicare poßit.

3.

Prisci Philosophi Naturæ saltem ductu operantes, ex geminis Aquis suum auspicati sunt laborem.

4.

Vnam autem partem reseruatam tenuêre, cui rubedinem super ignem indidêre.

5.

Alij postmodum toti fuêre in Rubro occupati, vtpote, quod in eminentiore gradu, suprema virtute præualet.

6. Quem

6

Quem laborem iteratò, & multa vice repetiuerunt.

7

Omnia maiori Ignis, & operæ industria, molimine & gradu.

8.

Lunæ addunt de Iouis & Saturni Spiritibus, atq; ita per sublimationem Philosophicam, & per Sperma Lunare tentant, & complent augmentationem.

9.

Quin etiam Lapidem de Solis Spermate, alijs rubellis Spiritibus Veneris & Martis inaurant, & rubescere cogunt.

10.

Inferiora enim Corpora Philosophica multum in se Tincturæ recondiderunt.

11.

Quæ Corpora, Spiritus, & pueri dicuntur. Atq; ita pueri dicuntur ludere cum Lapide.

12.

Vt etiam Vrina puerorum quatuor annorum, hoc est, quatuor Inferiorum Corporum.

13.

Vnde Aqua Philosophorum fortißima, quæ Aurum soluit.

14.

Et Lapis Philosoph: ex Auro & Natura est, cuius virtus efficacissima est, & vsus in Medicina maximus

15.

Est & alius Lapis, non æquè pollens virtute tali, in quo sola Radix, & Sulphur Auri & Argenti est.

16.

Quod Sulphur se Spiritibus suis per inferiora Corpora, ac sua per rata pondera, colligit.

17.

Vnum nempè ad tria: Vel duo ad Septem apponendo: Atq; ita duo Sulphura ad Septem Spiritus in proportione appendantur: Inde Nouenarius numerus Mysticus exurgit.

18.

Tertius Lapis est, ex Sulphure omnium Metallorum, cuius Spiritus in Tincturæ vsu adhibetur.

19.

Spiritus enim est, qui multiplicat, non Corpus: & Lapis est Spiritus Tincturæ, seu tingens, & Spiritualis virtus, & Igneus quidam vigor, fortissima, sua penetrans impreßione, Corpora Metallorum.

20.

Qui Lapis nutritur Igne diurno, & nocturno, & ab Operis iteratione Incrementa sua trahit.

21 *Quò*

21.

Quò plus enim iteras Opus, Solemq́ soluis, eò plus tinges.

22.

Soli verò & Lunæ iunctis, pueros quoq́ jungas, hoc est, Inferiora Corpora, Sole illis prædominante.

23.

Maxima namq́ Solis est vis, efficacia, & Effecta præ reliquis omnibus alijs Corporibus efficacissima.

24.

Quæ verò omnia, cum Mystica sint: prisci Philosophi varijs illa ænigmatibus condidêre, juxta illud Platonis præceptum: Artes vt lateant sua perq́ ænigmata crescant.

25.

Hinc crebræ Poëtarum Fabulæ, Quinquennia Pythagoræ Silentia, & Ægyptiorum Oracula, ne gemma nobilissima huius Sapientiæ, porcis & Suibus projceretur.

26.

Hinc notabis Ouum Aquilinum quod Scarabæus disrupit.

27.

Aquila namq́ Auis violenta, & crudelis est.

28.

Scarabæus è contra, constanti, & alacri animo, nec viribus caret, nec ingenio, licet inglorius in suo latitet fimo.

29. Ouum

29.

Ouum enim Aquilinum etiam ex Iouis gremio in terram præcipitat &, disrumpit.

30.

Artificium igitur hoc Scarabæi inprimis attendendum.

31.

Simul subtilißima fimi ars addiscenda.

32.

Vt habere poßimus dissolutum Aquilinum Ouum.

33.

Oui istius dissoluti albumen & vitellum considera attentiùs.

34

Simulq; voluendo, reuoluendoq; contempera, vt pilas suas conglomerant Scarabæi.

35.

Sic inuoluto albumine, in ipso vitellinoso liquore magna fiet Oui istius Metamorphosis.

36.

Ex quo artificio certißimo, & vtilißimo, excellentißima deniq; emerget Medicina.

37.

Vt Lapis est vbiq; in Monte, & Cauernis, in Summo, in Medio, inq; imo est.

38. Et

38.

Et in omni Re, vel Natura, inest Lapis: vna licet illi sit propinquior alia.

39.

Corpora enim Perfecta suis animant Imperfecta vinculis, vt in vno fœdere, sub Igne perstent, & maneant.

40.

Atq; hac de causa Lapis dicitur Mulieris opus, & puerorum lusus.

41.

Mulier hic Terra, & Mercurius etiam vocatur, qui Opus hoc perficit: Pueri vero Corpora inferiora.

42.

Tria enim Elementa ludunt cum Terra vicissitudine quadam sua.

43.

Atq; ita Lapidem augmentant.

44.

Quomodo hoc Lapidis Opus Creationi Mundi, Hominis, & Naturæ comparatur.

45.

Hic graphica Virginis Philosophicæ descriptio, Aues sursum deorsumq; volantes. Hermes in sua Cathedra, & alia notentur, quid velint.

46.

Talem Venerem cum vidisset Paris, eam Iunoni & Palladi prætulit.

47.

Item Allegoria Merlini & Balneum Regis probè excutiatur.

48.

Est & alia via Regia.

49.

Vbi sumitur Lapis tritus ac Sale conditur, & cum Sole super Igne liquescit: Hinc vnà cum Salibus notis jam Solutis, vna eademq; Opera demittitur, optima inde illi facies effulget.

50.

Iamq; sua in virtute Mercurius exultat & triumphat.

51

Graphica post notetur Lapidis seu Naturæ ipsius descriptio, in Sene quodam.

52.

Vbi Hermetis aperitur Schola: Liber aureus precium studij, Operæ & virtutis immortale proponitur.

53.

Fons Regis eiusq; descriptio, vna cum fornace, vbi & tempus lotionis, & moræ, dum Rex est in balneo, exprimitur.

54.

Similiter & meta, gradus, spatium, moderamen & ætas tibi notanda veniunt.

Ita

55.

Ita vt Ars Naturæ defectum suppleat.

56.

Totus enim Operis processus cum suis adiunctis & attributis est in Colore, Igne, Tempore, Serie, Regimine, Pondere, & iusta Materia, & Ordine.

57.

In Sole igitur omnes Naturæ vires, quasi in receptaculo, & fonte perenni reconditæ sunt: Et Sol vicißim per vniuersam naturam suos spargit & infundit radios.

58.

Præsertim autem Solis vis micat in Lapide.

59.

Cum enim in qualibet re Naturali eius insit Spiritus, eo magis erit in Auro & Lapide, qui Naturam suo laborantem defectu, juuat & instaurat.

60.

Omnis enim Generatiua & Seminaria virtus est in eo Spiritu.

61.

Et virtus Animæ Mundi per eum dilatatur per omnia.

62.

Cum nihil reperiatur in toto Mundo, quod suæ virtutis scintilla careat.

63.

Per hunc Spiritum omnis occulta proprietas propagatur in res inferiores.

64.

Hunc igitur Mundi & Solis Spiritum aucupari possumus in omnibus, In primis tamen in Auro, cui maximè inest, & quod plurimum eius hausit.

65.

Hæ etenim res, in quibus Spiritus ille minus immergitur Corpori, ac minus cohibetur materia, Hæ etiam potentius perfectiusq́; agunt, tum etiam promptius generant sibi simile.

66.

Omnia item reliqua Corpora & Metalla vim suam huic vni contribuerunt Soli, seu Lapidi.

67.

Sol omnis huic suas communicauit dotes, vnde igneam & penetrantem habet Naturam.

68.

Iupiter huic justam addidit temperiem, per omnia Elementa, æquabilem.

69.

Omnia in Auro summa insunt, vt illud nulla corruptio, vel Igne, vel Aqua inuadere, atq́; imminuere poßit, Cum Corpus sit perfectißimum.

70.

In Compositione enim Lapidis, & in Auro quatuor conueniunt, Elementa. Æquantur enim ibi omnia Elementa æquatione vera, secundum omnem poßibilitatem Naturæ.

71. *Hinc*

71.

Hinc mira tibi resultant Effecta ab illo Lapide, Per omnia enim membra interiorem instaurat vigorem. Humores vniuersi Corporis, temperamento quodam mirabili, sua in harmonia conseruat, & Naturam ipsam suo in Esse retinet.

72.

Accedit eius Solutio, Depuratio, Exaltatio, & diuturna in Igne enutricio, vnde Astralem penitus vim & cælestem acquisiuit, cum sit pura, & ipsissima quasi forma Auri.

73.

Et hæc forma inter omnes formas Mundi non solum est Qualitas excellentissima, sed etiam Quantitas, quia conforme quoddam Corpus habet suum.

74.

Hinc vis, & efficacia veri Auri potabilis, qui Lapis noster est, facile æstimari potest.

75.

Dosis eius est in pondere Grani Synapi.

76.

Elementalis enim ceu Materialis virtus vt multum agat, multam etiam desiderat Materiam: Formalis autem in minima quantitate plurimum potest.

77.

Anima quin etiam & forma vnius cuiusq; rei

Specifica, multò & plures & præstantiores virtutes operationesq́; habet, quam vel ipsum Corpus vel eiusdem rei Materia.

78.

Hocq́; illud Corpus asserere non dubitamus, quod dicitur Analogum esse, seu proportione respondere Elemento Stellarum.

79.

Compendiosiore etiam via Lapidis confectio ita exhiberi poterit, quod Opus MINVS quidam vocarunt.

80.

Precium foliatum limatumuè componatur cum Mercurio Masculeo in duodecima proportione, cui leuem subdas Ignem, quo vsq́; Mercurio Venus supernatet.

81.

Soluente iam Mercurio Corpus: id ad imum vsq́; extrahe. Quæ pars Operis vna.

82.

Post Sulphur in vitro ponas sine Aqua, & Animam Lunæ cum Aqua Corporis sui distillabis, vt Sulphuri in vna eademq́; jungatur vitri ampulla.

83.

Vt ita multis vicibus sursum, deorsumq́; in se exurgat, mergatq́; vicißim, donec aquam suam Venus imbibat, atq́; sub Albo penitus concipiat, niuisq́; instar effulgeat.

84. *Quæ*

84.

Quæ eſt digeſtio & Operatio ad Album Elixir.

85.

Tertia deinde ſequitur Operis pars, quæ eſt reſoluti Corporis, maiore ſub Igne Citrinatio, & Fixio ad Elixir Rubeum.

86.

Breuior via: Solue Corpus, cui adde Sulphur, & mundifica omni ab ſorde ſua: Spiritum ſublimes, & illum Sulphuri addas, vt illud in Auro imbuat & inebriet

87.

Sic namq́ Spiritus, & Sulphur coniurant amicè inuicem.

88.

Ex quo totius Artis & Operis Magiſterium patet.

89.

Mercurium enim & Sulphur Auri habere eſt omninò neceſſarium.

90.

Spiritus tingit: at Sulphur pondus communicat, & Corporis menſuram adæquat, quod ſua per coagula nectit, vincit & figit.

91.

In Venere namq́ Auri noſtri, vniuerſum Naturæ arcanum deliteſcit

92.

Idq́ ipſum coagulum ſuum eſſe ingenuè fatentur Philoſophiæ huius Conſultiſsimi.

93.

In quo omnia sunt huius Magisterij reconditissima Mysteria.

94

Mundificato igitur coagulo impedimenta, & obstacula cessant, felici iam Tincturæ auspicio.

95.

Vt enim immundus pannus lotione adaptatur, ad Tincturam in se recipiendam.

96.

Ita quoq; Sulphur Naturæ, non comparatur, nisi prius aqua abluatur.

97.

Quod abluere, seu quæ lotio nihil aliud est, quam soluere, seu Solutio.

98.

Qui namq; soluit, abluit & mundificat &ècontra.

99

Aquam vero hic intellige Mercurium, quo fit lustratio ab omni illuuie.

100.

Ita Mercurius dicitur, clauis aperiens Corpus, Sulphurq; albificans.

101.

Sic namq; omnia & vniuersa remouentur obstacula, tincturam inhibentia, Quæ sunt Mors æterna, & nunquam Cœlum petunt.

102. *Vnde*

102.

Vnde clarius adhuc hæc tanta Naturæ Mysteria patescunt.

103

Quæ omnia syncere Philosophantium relinquimus consideranda, & excutienda Iudicijs, vt & alia in his Apotelesmatis, quam plurima.

104.

Nihil etiam aliud est Sacra Lapidis scientia, quam Naturæ aut Terræ mundificatio, quæ fit mediante Aqua.

105.

Illa iam obtenta, & ritè secuta: omnis vltrò recedet obscuritas & egestas.

FINIS APOTELESMATVM MERCVRII TRIVMPHANTIS.





FAMILIÆ COPORVM
DE CALVIS INSIGNIA.



MARTINVS COPVS, MEDIC: DOCT:

AVSPICE DEO.

AD



AD FAMILIÆ COPORVM DE CALVIS INSIGNIA.

PEgasus elata dum se fert calce sub auras
De puro Sophiæ fonte recludit aquas:
Nam pede quod teritur sub versicolore Rosetum
In Viridi, inq; Albo, Signa decoris habet:
Inde Sophi Consulta petunt, sua vt illinit Aurum
Germina, de triplici quæ patefacta jugo.
Namq; atri faciem Clypei fert Candor, at illum
Miratur niueo Signifer Albus Equo:
Artis opus lætum, Sophiæq; arcana renident,
Vnius ex gemino Syrmate inaurat Equus:
Quæ generosa tibi notat Vngula, & vtraq; famam
Parthenope, ac Sophiæ flore, Genetta refert.



PARÆNETICVM AD CLARISSIMVM ET DOCTISSIMVM VIRVM D. MARTINVM COPVM, VTRIVSQVE MEDICINAE

Doctorem, Philosophiæ secretioris Coryphæum, & Archiatrum excellentissimum, Amicum suum honorandum.

CARMEN HENRICI BOLSCHENII. I. C.

ERgo quid in remoram te, Consultissime, adegit,
Vt cœpto abstineas? & iniqua Nefarius audet
Scurra loqui super arte sacra, quam Chemia rerum
Vbertas fœcunda suis opulentaq; donis
Pandit ab arce Deûm. Velutide cælite Proteus — *Protei fabula.*
Pyxide, vim flammæ superûm furto abstulit olim,
Et gratis hominum partitus mentibus, auram
Numinis ætheream latè diuisit, vbi omnem
Impleuit nidore locum, propriamq; sacrauit
Flaminis igne Domum, sibi Numinis alma potestas, — *Confessus Philosophorum.*
Qua se in Confessu Sophiæ propago recepit.
Hinc Artes creuêre bonæ, quis dicere falsas — *Artium & Philos. origo.*
Audeat, à superûm quæ processêre reclusis
Igniculis? absit furor ille, & Erinnydos iras
Ipsa suo Nemesis saturata dolore, per omnes
Pœnarum trahat exequias, sub verbere sæuo.
Artibus at suus est honor, & sunt præmia dignis
Laude Viris, sua quos fama æthere portat aperto:
Quorum ego si numerum, si scripta, insignia scripta
Voluo, reuoluo, tui mihi mente recursat, in illis

Instar

Instar, & ingenij, & studij, dum prisca Sophorum
In lucem è tenebris euoluere scripta, laborem
Haud trahis ingratum, nodosq́ue incidis, & artem
Ostendis Cœlo, & manifesta in luce reponis.

Quale peregrina sydus regione Viarum
Erranti, monstrante viam face signat, ad oram Simile.
Eupolis ignotam priùs: huic discedere aperto
Paulatìm incipiunt tenebræ iàm tramite, & illi
Quam petit, ostendit via præuia Syderis, Vrbem.

Vt fatale Magis sydus cunabula, & ortum
Bis nati ostendit Regis, dum ignota sequuntur Sydus Magis præuium.
Numinis admonitu vestigia, ad ipsaq́ue Diuûm
Ora, pede inflexo, sua læti munera promunt.

Tale tuis, nobis aperitur nobile scriptis
Sydus, & è medijs lux præuia nata tenebris
Signat iter, Duce quo felices Eupolis oras Applicatio similitud.
Peruenimus, Sophiæq́ue toro interiore recessum
Lucis in accessum radijs, propiore sed haustum
Numinis auspicio libamus, & abdita rerum
Quæ simulacra latent, diuino euoluimus ausu:
Quando hisce à Sophiæ longè præsepibus arcent
Ingratum Vespas, genus, actæ Numinis iræ
Vt sese, æterna, & macerent sua vota, querela.

Ergo tuis meritò studijs gratamur, & illam, Gratulatio.
Quam nobis monstrante viam face, & auspice signas
Numine, felici ingredimur Duce lumine, & orsis.

Palladis auxilio, res vt Romana labascit
Ad sua regna nouo cum flore reuertitur, instar
Arboris hàc, illàc quam venti turbine pulsant,
Imminuuntq́ue suis concisam, & frondibus haustam, Simile ab arbore.
In fera bella Nothi exercent dum cominùs iras.
At Cœli postquam facies mitescit, & auræ
Iàm posuêre, nouo se vere reseminat arbos,
Et Cœli inuicto fastigia vertice pulsat.

Non aliter Sophiæ dum formosißima in hortis
Arboris effigiem metitur, & explicat almis
Læta comis sacra Palma, suis & prodiga donis:
Vim rabidi patitur Boreæ, asperaque flabraque in illam
Quæ coniurato ruit AEôlus agmine, vt hortum
Turbine vastat atrox Sophiæ, & graue vertice quasso
Fulmen agit, facilem ni Iuppiter increpet iram:
Hic subitò in melius, sua resque est integra Musis.

Continuò attollunt Zephyri, noua namque Fauonij
Gratia ridet, & Arctoa de parte serenat
Spem Sophiæ, & studijs melioribus annuit æuum,
Fataque ab exuuijs, peregrino ex hoste receptis.

Diocletianus Anno Christi 290 Christianæ & Chemicæ professionis hostis acerrimus.

Barbarus excisas vt enim vi dißipat aras
Librorumque facem, tollit face Miles, & ensem
Pallidis ora super stringit, mucrone corusco,
Et palmæ satagit virides incidere ramos:
Vulnere de facto Sophiæ generosa, sub auras
Erumpit soboles, & morte resemina traxit
Planta ferax. Hydræ veluti de sanguine proles
Editur innumero fœturæ semine, & auctu.

Caroli 5. tempora.

Carolus Imperij quo tempore sceptra gerebat
Quintus & immenso sua robore didita Mundo
Sese ostendebat virtus: Hic Palladis arbos
Exeruit patulos fido cum tegmine ramos.
Huius enim vt felix erat arboris vmbra, Sophorum
Confugium illa fuit, nulli & sua palma negata est.

Georgius Copus de Caluis, M. Doct. Familiaris & intimus Paracelso.

Hic primùm se fama Copi tulit æthere toto
Conspicua Imperij, Sophiæ de fronde repertæ,
Aureus huic folijs se ostendit ramus, & offert,
Quem Chemeia suis prius amplexata sub Vlnis
Euexitque palàm quà Solis vtroque salutat
Phœbus ab Oceano Mundum, vt caput exerit ortu,
Condit & occasu. Helueticis qui lumen in oris
Eminet hesperijs Roterodamus excitus Vndis,

Et

Et latio sermone potens, calamoq; disertus
Magno in honore virum, & coluit virtute togata
Conspicuum. retulitq; vicem per mutua dextræ
Officia in scriptis, & fido pectoris vsu:
Quo cum partiri curas, operumq; laborem
Eximium, insignem, Paracelso teste, secundas
Huic meritò asscribi partes, à seq; remitti
Laude sua, emeritamq; virûm pietate, fideq;
Cecropis ad palmam, & laudem virtutis auitam.
Quando suum Alberto studium vigil arte probarit,
Alberto, quo non Maior virtute, nec orsis
Si qua fides Sophiæ sit habendaq; gratia Musis.
Illius auspicio stetit, & res integra eiusdem
Durat opum auxilijs, & munere læta fauorum est.
Namq; Patrocinio dispersas obside Musas
Arboris vt felice sub vmbra, condidit artes.
Hinc Tutela bonis, & honor suus artibus olim:
Quæ sine honore suos pridèm eluxêre Magistros
Sub vulgi pede trita, nec Vllo vindice gaudent
Posse frui, vt passim Fas exul ab orbe, nec Aulis
Vllus honos Sophiæ manet, vt sua perdita res est
In rerum illecebris, nec amor, neq; gratia Musis.
Pauci adeò ad quorum penetralia subdit honestum
Calcar iter Sophiæ rectis insistere plantis.
Omnis in Alberto sed enim fauor eminet, illis
Quando datus studijs, largo dum Principis vsu
Ipse, & Amicitiæ decorauit ab omine Musas:
Huic Copus in precio: Velut vnio fulget in Auro,
Hospitiis omne sui preciumq; excelsius effert:
Sic & in delicijs habitus, dum Chemica tractat
Abdita, quæ studijs quanquam indagata priorum
Eruta sed nulli sub apertas luminis oras
Arctoi sub parte soli. Tulit vnus, & vnum
In medio punctum, quod inextricabile multos,

Ab ipso Paracelso & alijs eius ætatis Chemicis prestantissimis Paracelsi Præceptoribus Medimentorum præpationes accepit.

Alberti Cardinalis ArchiEpiscopi Magdeb. & Halbersta, Electo. Mogunti. erga doctos, liberalitas & munificentia.

Gregor. Copus de Caluis. Med. D. & Archiater Elector. Moguntini.

Excellens Chymicus.

Arte fatigauit, sed inutile liquit ab vsu.
Hic vir hic irrupit nodum, & sacra texta corusco
Dissecuit mucrone, & acumine Mentis, ad illam
Euasit, nulli quà fas pertingere, metam:
Qua secreta habitant Naturæ, atq; abdita in ipso
Lustra domosq; colunt Sophiæ interiore recessu:

Hoc tempore Chemia floruit.

Hac se parte ferax Natura exclusit, & vsu,
Humanæ Consulta refert dum plurima Vitæ,
Quæ latuêre suis prius obsita, & hausta tenebris.
Dijs meritò grates pro tali munere, & vsu
Luminis in Sophijs persoluimus. Accipe votum
Summe Deûm, & nostri vestigia prisca minores
Obseruata legant, & amore morentur in illis,
Quando aliàs vllam ratione videre salutem
Non animæ potuêre suæ, atq; haurire medelam
Corporis, afflictæq; diu solamina Vitæ.

Familia Coporum Medicinæ & Chymiæ studijs inde iàm centum annos celebris & addicta fuit.

Iamq; ferè decies statione peregerat annos
Sole decem repetente suos, vice lucis, & vmbræ
Alternante, hominum seriemq;, operumq; laborem
Decursis æui spacijs, vt adacta frequentant
Ex alijs noua fata, suosq; recolligit ortus
Ex casu alterius noua sors, & fœnore pensat
Funera, nascentum vt numerum cum stragibus æquat
Humanis, ne fortè mori, neq; posse reuerti
Extremam rebus mortali in sorte ruinam
Afferat. Ergo nouis Natura subinde racemis
Protrudit gemmas, operosaq; semper in actu est,

Natura semper in opere est, & Artes propagantur.

Inq; vigore suo perstat, neq; deficit annis
Hausta suis, Sed opus peragit, iustoq; fruisci
Fine cupit, Versatq; diu, quod in ætheris auras
Enixu tandèm emittit: Sic procreat artes
Ex alijsq; nouat studia intermortua quondam.
Quando Minerua suo est gremio fœcunda, Nepotum
Expleat vt seriem. & felicem frugibus annum

Et

Et ſtudijs meſſem fruticantibus imperet aruis.
Ergò bono ſata progenies de patre reſultat,
Poſtumus inq; hæret ſtudijs, incœptaq; fauſto
Sydere proſequitur, quæ liquerat orbe, parentum
Et deſiderium, & præreptum morte propinqua
Votum animi, quod iure ſuo, quod nomine & Hæres
Aptat ab arte ſibi, atq; vſu non degener ipſo
Applicat, vt multos ſibi tabe reducit ademta
Ad vitæ meliora ſuæ, decurſaq; fata
Prorogat ex viuo Sophiæ medicaminis hauſtu.
Quando Antimonij vel parua fauilla redacti
Pulueris in lacrymam reſolubilis omne Venenum
Ebibit, atq; luem mira fert arte fugatam.
Illa tibi exemplo, Vir conſultiſsime, Auorum
Ritè ſequenda reor laudum ſimulacra tuorum,
Et præclara patrum veſtigia, namq; per illas
Virtutum haſce notas, Viuasq; in imagine formas
Eminet Hæredis Pietas, & Nomen Auorum
Poſteritate legi ſera cupit, atq; fruiſci
Nominis hiſce ſui titulis, & honoribus æui
In ſobole, vt quod erat fragili ſibi ſorte peremtum
Viuat ab exequijs, Nomenq; vigeſcat ab vmbris,
Famaq; ad æternos propagine tranſeat annos.
Ergò quod arte potes, ſeries & auita tuorum
Poſtulat, ingredere, atq; tuis ne deſine cœptis
Ferre ſub ora Ducum, non infima fama ſequetur
Inde, nec arguto me vincet Thracius Orpheûs
Carmine, facta ſequar tua carmine, & arte canora
Artem hanc, & numeris Sophiæ illa decentibus vnquã
Non intacta meis ſimulacraq; condita linquam.
In mentem veniat Patriæ Virtutis imago:
Carolus Imperij gereret dum ſceptra tot amplis
Quam laudum ornauit monumentis, armaq;, & vſum
Armorum, de more Ducum, vel ab ordine equeſtri

Martin. Copus, Pater, Med. Doct.

Antimonij & aliorum præparatio & Medicin. ſaluberrima.

Digreſsio ad D. Martinum Copum Medic. Doctor.

Adhortatio ad iuuanda & continuanda illa ſtudia.

Caroli 5. liberalitas & munificentia erga hanc familiam. Anno 1521.

I Euectæ

Euectæ Vexilla domus gestanda reliquit,
Vt memores horum proauito in honore Minores
Sorte operumq́ pari sua per vestigia crescant.
Vtq́ habeas propius, Viden ut super æthera anhelo
Pectore tendat Equus, sua quem Candore niuali
Colla, iubæq́ vehunt, & Caßide glorius effert

Insignia Familiæ Coporum de Caluis.

Vngula, vt è gemino se librat syrmate in auras.
Dum nigra texta suo candent splendoreq́ fulgent.
In Clypeo sed enim protecta in gramine pascit
Ora sua, & circum viridi & lactente iuuenta,
Pubescunt flores, niueo, atq́ rubente colorum
Prouentu in vario, pulcræq́ in imagine formæ:

EquusNeapolit:

Parthenopes reor esse, piæ immortale Genettæ
Donum, quod Cæsar Musis sacrum immolat olim.
Inductus pietate Copi, & super arte sacrata
Chemica quam tractat diuina profeßio, vt omnem
Humanæ super Artis opus transcendit, & alto
Vertice se quantum tollit, radicibus hæret.
Naturæ defixa suis, & ad infima tantùm
Descendit regna, & loca fœta nigrantibus vmbris.
Hic tibi Equus signat Victuræ gloria palmæ

Gloria ex studijs Chemicis.

Quæ veniat super arte sacra, mediumq́, modumq́
Principium, & finem, saturata fauore voluptas
Annuit ipsa tibi, atq́ vltrò sua præmia pandit,
Munificis opulenta bonis, & munere Diuûm.
Namq́ vides lateant, quænam Secreta profundo
Naturæ in gremio. Cornu miracula Corui:

Magisteria, & miracula, Cornu Cerui. Ari. 2. lib. Hist. Animal.

Quanta gerat, vigil hæc docet experientia ab vsu
Multiplici, & vario, tibi quem sacra pandit ademtis
Cecropis inuolucris Sapientia dia Sophorum.
Summus Aristoteles quando hæc fastigia rerum
Miratur: stupet, attonitis & mentibus hæret,
Quando ex Cornigeris huic vni deflua certa
Cornua sunt vice, & humanæ medicamina vitæ

Certa

Certa fouent, si quando suo resoluta liquescunt
Flumine, & ex lacryma ipsius vis Mystica inundat. | Lacryma Cerui.
Spiritus hisce etenim Mundi est impressus, & æuum | Agrippa.
Indulget, vitæq; moras fugientis ademta
His carie annorum suspendit sospite vitæ
Munere, & immissa cœlestis ab indole differt. | Orpheus.
Occultæq; poli virtutis. in infima postquam
Corpora demittit radium, & Iouis imprimit Astrum
Influxu, & genio Naturæ haud dispare, & auctu.
Nam Radicali quod in ipso pascitur Vdo
In Densi virtute sui decus auget, vt illud | Humidum radicale.
Ex pingui fouet amplexu, & sua fomite, & æuo
Robora confortat viridante subinde Iuuenta.
Naturæ propiore gradu, quam si qua Metallis
Gratia in humanos conuertitur vtilis artus,
Tabe leuare sua, Corpus qua sæpe refertum est.
Hic etenim virtus faciles vt Analoga formas
Induit, & certa variat ratione, medullis
Affixum vegetale suis, & principe Voto.
Hic sed vt Artis opus latet interiore recessu
In Sophiæ, tibi signa dabit, quo talia ductu
Perficere, ac poteris felice quiescere ab vsu.
Ceruus enim vt latebris Serpentis virus opacis | De Cerui miraculis.
Nare sagace legit, sua Cornua fonte salubri
Mergere auet, totisq; haustum dispellere membris
Virus: ei ruptis liquuntur viscera venis.
Quæ largo passim sudore perambula toto
Spiramenta legunt animæ conamine: ibi omnem | Mysterium Lacrymæ Cerui.
Virus vt eluuiem posuit virtute recepta,
Flore virere nouo simul incipit, atq; senectæ
Damna vigore leuat, decursosq; integrat annos,
Quando huic in Lacrymæ sua Mystica vena fluorem
Soluitur. Hinc tanti patefacta est gloria facti.
Quid referam Cerui quod ab Osse repullulat intra

Os Cerui in Corde.	*Viscera Cordis? Eburne id Cartilaginis instar*
	Naturæ secreta suæ manifesta recludit?
	Vt Crucis in formam, sacra toti Mystica Mundo
	Ostendit, resoluta sui & vis æditur ingens.
Vngula Alcis.	*Sic Alcis quoq; multa tibi dabit vngula, nostræ*
	Quæ Medicina petit vitæ, succosq; salubres
	Elicit acta suis Essentia Quinta fluentis.
Eboris solutio.	*Sicne Eboris solido guttas de corpore cernis*
	Arte trahi mira, quod tostile fecit ab igni
	Septima pruna coquens, oleumq; excludit, & vndam,
	Quando soluta suis Essentia Quinta cauernis
	Intus anhelantem foris euocat vbere succum?
Monocerotis Magisterium.	*Hac quoq; Monocerotis agit ratione, profundi*
	Dia Magisterij virtus, quam viscere Cornu
	Interiore gerit. Dum soluitur, imbre salubres
	Depluit expresso succos, vimq; euocat omnem
	Humanæ pro sorte Animæ in statione tuendæ.
Electri Medicina.	*Quàm varia Electri medicamina ab vbere stil-(lent*
	Quis potis effari? tenet insanabile multos
	Vlcus in Articulis, & opem Medici expuit omnem,
	Id tacita leuat arte, simulq; horrenda dolorum
	Tormina sistit, & attritos ope suscitat artus.
Lapillorum Corallorum Perlarum, Margaritarum virtus.	*Quanta Lapillorum generosis insita virtus*
	Corporibus, manifesta patent, documentaq; ab vsu
	Edita longæuo testantur, vt illa Corallis,
	Gemmarumq; satu, Cristallorumq; solutis
	Visceribus, quamq; in gremio fert Margaris imo
	Panditur effigies super arte, nec vlla renident
	Tanta Magisterijs opera, vt se læta profundæ
	Semina Naturæ exonerant, mirabile dictu,
Hannibalis virtus.	*Hannibal vt rigidas cautes perrupit ab ausu,*
	Itala dum tellus, & virtus excitat vltrò.
	Exemplo haud alio, quàm si non fregerit Alpes
	Ingeniosa tui & virtus operosa laboris

Non

Non facilè ascensu superes, atq; inuia vincas.
Nam quæ cruda manent, ea non tibi Corpora præ-
Atq; Magisterijs dum non sunt obuia tantis (stant
Cassam Operum faciem, & nullum Medicaminis vsum
Portendunt. Strutionis vt igne liquescere tandèm
Frustrà enitaris, qui Saxa, Metallaq; in vsum
Corporis humanum stomacho malè vertis inerti.
Ergò opus est alijs medijs, atq; arte Magistra
Vt tantæ artis opus iusto Medicaminis vsu
Humano aptetur generi, Nam libera nondum
Carcere quando suo, tibi iussa Solutio fecit
Corpora, non vsu tibi possunt esse salubri.
Non aliter quàm si Lapides vel cruda subintrent
Frusta Metallorum tibi Corpus, & omne labascat
Corporis officium, & iàm Spiritus exeat vmbris
Lætus ad astra suis, & linquat triste cadauer.
Cætera præteriens, quæ docta Minerua tot illis
Abdidit Astrorum facibus, ditemq; Metallis
Affinxit faciem, sed opaco semine pressam
Et paucis notam, mortali sorte creatis,
Nam quæ Mercurio, quæ Soli & gloria Lunæ,
Quæ Marti & Veneri data, famaq; visq; medendi,
Quæue in Antimonij venis inclusa vigescunt
Indole Tincturæ, sapienteq; luminis Astro:
Illa libens alijs post me memoranda relinquam. (gò
At Salium genus omne sequar, neq; cognita vul-
Mystica in his tangam breuibus, maioraq; pandam
Artis ab auspicio tantæ, quam dia, sub auras
Maiorum exclusit generi, atq; Minoribus olìm
Promisit prece victa referre Minerua, sine vsu
Abdita, ne iaceant Artis Mysteria in vmbris, (do
Cumq; queas opus ingredere, ac tua Nomina Mun-
Ostendas, quàm clara suis atq; excita Cœptis
Brunoidum dum fortè Duci sacra tanta recludis.

Corpora soluenda sunt.

Struthionis stomachus.

Solutione omninò opus est.

Digressio.

Vis Medica in Planetis.

Transitio ad Salium genera,

Non sine laude tui, rumpantur vt Ilia Codri
Qui sua post habitis iactant proscenia Musis.
Namq́; tenes studia, atq́; operas, operumq́; laborem
Fine, modoq́; suo, mensuræ & lumine, & vsu:
Quæ dum fortè latent alios, super arte laborem
Ingratum sine fruge trahunt, medioq́; fatiscunt
In Cursu, vt temo currus iacet axe reuulso.

In Salibus introductio Analogica, & Clauis ad Secretiora Artis, Hic omnes se operationum formæ exhibent.

In Salium genere est quædam introductio, ad ipsam
Effigiem Lapidis, quem Progymnasmata signant
Hæcce tibi, & velut est sacra Clauis, ad ipsa Sophorum
Abdita secretis habitata palatia in vmbris.
Namq; Operum hic omnes pandunt sese omine fortes.
Quæq; suo, & nullo penitùs discrimine distant
A Sophiæ adducto conamine, quando laborem
Arte, Metallorum exercent super augmine læto,
Dum fiunt perfecta, suo imperfecta repressu
Corpora, & erumpunt facies sub dispare formæ
Ingenio, atq; sua noua semina ab indole trudunt.

Natura expetit Artis opus.

Mirum opus, atq; artes miræ, super illa laborum
Auspicia, è proprijs Natura puerpera venis
Quæ spontè excludit, si quando iuuatur in ausis
Læta, operosa suis, vt nunquam deside hebescit
A genij Virtute sui, & propagine, & æuo.

Tria in Salibus Spiritus, Anima, Corpus.

Nam tria constituunt quæ res generante creatas
Ordine Naturæ: in Salibus quoq; . Spiritus illis
Namq; vt inest, Animæ vigor omnes Corporis artus
Munere lætus obit Vegeto, seq; ætheris aura
Miscet agens toto diffusas corpore vires
Talia qui sapiunt, vt Halatia prisca Sophorum

Hic occulta fiunt manifesta.

Quæq; docent, manifesta his omnia luce patescunt
Quæ prius abstruso Sophiæ velamine inumbrant.
At Salia illa suis, longè interclusa renident,
Facta Magisterijs Sophiæ, quantùm æthera ab imo
Telluris spacio, tantùm communibus arctant.

Hæc

Hæc ſeſe à Salibus, neq; gratia tanta reſultat
Illorum, Vt Mulieris opus planè impare ab auſu
Id tentare queat minimè, & ſuper arte labaſcit.
Namq; quod Inferius fuit, hìc ſuper æthera molem
Portat ab inferiore gradu, ſuperumq; vigeſcit
Auſpicijs, reſideiq; ſuis vis vtraq; membris.
Arte Magiſterium tanta eminet, æthere ab alto
Quale Deûm Igniculis è Pyxide Cælite Proteus
Contulit humano generi, æternisq; ſacrauit
Artis ab auſpicijs, felici & Luminis vſu,
Suntq; alia. Aſt horum deſcribere nomina longùm
Vt foret, omittam. Tibi quænam Solis ab Aſtro
Quæ Pandagogo, quæq; HoriZonte reſultet
Vis arcana ſui claro Medicaminis vſu,
Non latet, vtq; alijs ſeſe Elixiria formis
Entia dum monſtrant ſua prima, euoluere certant,
Atq; ſuis nondùm quæ babtiſata feruntur
Nominibus, certo Medicaminis omine paſſim
Egregia, vt raris ſecretaq; Vocibus hiſcunt,
Non vulgi de plebe, ſed edita ſanguine equeſtri,
Præluſtriq; ſatu, & Diuorum Regia proles,
Et quæ complexu veterum tibi principe in aurant
Clara reperta ſuo, haud priſcis ignota Sophorum:
Queîs ego non metas æui, non nomina ponam.
Quando Moguntini fauor Albertiq; recurrunt
Vota diu, quibus ardet Auum hac ſuper arte probatum
Saxoniæq; Ducis, quibus ille inſignibus actus
Naturæ ſtimulis Auguſtus, Maior & ipſis,
Egregium Patris arte decus ſuperare merendo
Toto animi intendit voto: quos æthere aperto
Fama volans, poſt fata, ſuæ vehit inclyta vitæ,
Laus vt Auo, atq; Patri ſua floret honora, Nepotum
Stirpe renaſcenti, in Patriæ virtutis amorem.
Illa pio attendas, Copi, multumq; reuoluas
Pectore,

Et longè diſtant ab alijs Com: Salib.

Hìc inferius fit Superius.

Diuina eſt reuelatio.

Solis Aſtrũ. Pandagogum, HoriZontis arcanum, &c.

Et alia Elixiria & prima Entia infinita numero & Nomine.


Non pedanea ſed Regia.

Repetitio priorum, & munificentia Heroum

Pectore, & ad tantas animo te glorius artes
Verte lubens. Ità spem generis præcelsius effers
Maiorumq; decus studijs insignibus exples.
Brunoidumq; Ducis, quem ingentibus æmula, ad illas
Fert stimulis virtus sua, & Artes increpat vltrò,
Vota pij superas, gratum & trahis arte laborem:
Fors ille AEsclapio, & sua cernet honora Maroni
Præmia, honore Deûm pietas quem remige portat.
Dum loquor inuicti se gratia Cæsaris vltrò
Fert medio, Sophiæ studia illa fauoribus ardet
Immensa eximijs, cui maiestate verendum
Pectus hiat, dignos Musis indicere honores
Ac titulos gestare, suiq; insigne decorum.
Parthenopæus Equus, dum munere clarus Auorum
Cæsaris, attollit Clypeum, & super æthera famam
Integrat, & Copis sua didita gloria Mundo
Ex Sophiæ studijs, & honoribus auctaq;, & æuo est.

Adhortacio ad Martin. Cop. Medic. Doct.
Dux Brun. Henric. Iul.
Rudolphi 2. Rom. Imperat. ad hæc studia ardor & munificent:

PRAETEREVNTES, PRAETEREVNTVR.



F I N I S.



